

Pandulfo Caputferreo dicar , qui currente Anno 978. Principatum Salernitanum Beneventano & Capuano conjunxit : idque Anonymus (sive is sit *Ardericus Salernitanus*) populis iis felicitati tribuit . Denique enarrata violenta morte Adelchisi Principis Beneventani , quae circiter Annum 879. contigit , dicere pergit de loco necis : *Ab illo tempore nequaquam ibidem herba orta est , donec usque nunc nostris quoque temporibus centum anni expleti sunt .* Si post expletos a caede illa centum annos scribebat Salernitanus noster , ergo is florebat circiter Annum 980. Ceterum jam Peregrinius animadvertit , Scriptorem hunc Grammaticali eruditione pueriliter distentum fuisse : cujus rei exempla in his quoque Paralipomenis occurrunt . Indulgendum tamen homini , hujusmodi merces tunc venditanti , quippe ignorantia meliorum disciplinarum longe lateque iis temporibus regnante , famam saltem ex hifce minimis studiosi literarum sibi conquirebant . Immutata quidem sunt tempora ; sed nobis felicibus nefas foret iis insultare , aut irasci , quod pari scientia ac felicitate minime fruerentur . Atque haec mihi commemoranda erant de perversto Scriptore isto , cujus *Paralipomena* tandem Lector accipiat . Subjungebantur in calce Codicis Carmina quaedam , inscripta tumulis olim Illustrium Virorum , atque alia nonnulla antiquitatis rudera , e quibus nihil deperditum volui .

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]